

nam, ut lib. 2, cap. 2, diximus, ab aliis quam à sacerdote summo inungi potuere reges. Nisi dicamus unctionem sumi pro designatione, aut acclamatione, qualis fuit illa, de qua cap. 15, v. 10: *Regnavit Absalom*. Sæpè enim usu venit, ut cæremonia, quæ communiter adhiberi solet, etiamsi aliquando prætermitti contingat, sumatur pro eo, quod eâ cæremonia designatur. Quomodo de B. Virgine dicitur illud Isaia 45: *Aperiat terra, et germinet Salvatorem*, cum tamen purissima illa terra in Christi nativitate aperta non sit, cum Christus, integro virginitatis clastro, natus fuerit, quia id plerumque in feminarum puerperio contingit. Hanc regulam nos ad illum Isaia locum adduximus, et confirmavimus exemplis.

Alterum est *silere* idem interdum esse quod cessare, aut quietum esse. Quod nos pluribus ostendimus ad illud Isaia 7: *Vide ut sileas, noli timere*. Job cap. 5: *Nunc dormiens silerem*, id est, quiescerem. Et in Psalmis audimus: *Domine, ne sileas à me*. Et Marci 4, v. 59, cum magnus esset motus, atque turbatio in mari, jussit Christus obmutescere illud, et tacere, et statim quieto mari cessavit tempestas. Quare cum filii Israel meliori jam mente sibi mutuò dicunt, *usquequò siletis?* cessationis se, et tarditatis incusant, quia quam primùm regem in solium, à quo excidisse videbatur, non reducant. (1)

VERS 11. — LOQUIMINI AD MAJORES NATU JUDA, DICENTES: CUR VENITIS NOVISSIMI AD REDUCENDUM RECEM (2)? In causâ Absalomis videntur omnium maximè peccasse viri Juda, quia cum apud se illum frequentius habuissent, usumque cum illo haberent familiarem, facile pellicis adolescentis seductis blanditiis in illius vota, atque consilia jurarunt: atque ideò meritò timere poterant regis offensionem. Hæc, arbitror, ratio continuit domi homines, quos perfidiæ, scelerisque conscientia damna-

(1) VERS. 10. — USQUEQUÒ SILETIS? Quid expectatis? Quid siletis inertes et ignavi? *Silere* valet sæpè pro quiescere. *Sol, tace. Domine, ne sileas, ne discedas à me.* (Calmet.)

(2) Tribus Juda, ac præsertim cives Hierosolymæ, Davide fugiente, Absalomum cum exercitu magno venientem acceptarant, eique urbem et arcem Sion tradiderant, quam ille firmo militum præsidio munierat; quare malè sibi conscii, quòd scilicet Davidem offendissent, ac metuentes præsidium Absalomi arcem Sionis occupans, non audebant Davidem revocare. David ergo omnes benignè ad se invitat, vocans eos suos consanguineos, et impunitatem pollicens, ut se in urbem et regnum recipere.

(Corn. à Lap.)

bat. Cum ergo rex illius tarditatis causam agnosceret, per sacerdotes summos, qui, ut supra vidimus, manserunt Hierosolymæ, conciliare sibi voluit gentem illam, et si quis esset, ex illorum animis, metum detergere. Quasi enim contribules suos videre cuperet, quorum desiderium ferre non posset, de illorum tarditate, ac cessatione queritur. Quod amoris eximii non vulgare existimatur argumentum: et qui benè de amoris naturâ sentiunt, hujusmodi accusationem adeò non ferunt molestè, ut etiam ament. Quod dixit Cicero, qui amicitia ingenium optimè novit, lib. 2, Epist. famil., epist. 1: « Non tam molestum mihi est fuit accusari abs te officium meum, quam est jucundum requiri. » Et qui Amasa princeps fuerat in Absalomis exercitu, eaque de causâ, aut pudore, aut metu, à congressu regis deterreri poterat, ideò speciatim illum accersit, locumque in exercitu principem promittit pro Joab, quod sanè obtinisset, nisi à Joab per insidias foret occisus, qui Davidis consilium graviter accepit. De quo statim cap. 20, v. 9. (1)

VERS 14. — ET INCLINAVIT COR OMNIUM VIRO- RUM JUDA (2). Timebat, credo, David, ne viri Juda ipsum ab urbe excluderent regiâ, quam pro Absalome firmo occupaverant præsidio, atque ideò tanto sibi studio per sacerdotes

(1) VERS. 15. — ET AMASÆ DICITE: NONNE OS MEUM ET CARO MEA ES? Amasa filius erat Abigailis, sororis Davidis quem copiis suis Absalom præfecerat. Non ignorabat utique David, quanti esset momenti ad reliquias defectionis dissipandas unicum eum virum subducere, à quo labentes ejus res sustineri potuissent. Spondet igitur Amasæ summum copiarum suarum imperium loco Joabi, qui insolenti audaciâ jam ferri non poterat. Censuit David futurum, ut Amasa vir esset mitior, præsertim conscientia eriminis à se commissi, et veniæ à rege impetratæ. Nec ambigendum est, quin David sincerè et ex animo id promiserit. Amasam præfecit, ut cogeret ex Judâ copias, atque in expeditionem adversus Sebam filium Bochri duceret. Sed cum Joab perfidè virum interfecisset, atque ad se imperium exercitus transtulisset, abrogare ab illo imperium demiceps rex non valuit, præsertim post novissimum illud præstitum sibi officium, reducti scilicet ad obsequium universi Israelis, quod sequenti capite narrabitur. (Calmet.)

(2) Clementiâ Davidis largisque ejus promissionibus captus Amasa, filios Juda illexit, omnesque ad Davidem reduxit. Pronus est hic litteræ sensus. Sunt tamen qui ad Davidem hæc omnia referant, quasi is lenibus verbis, quibus voluntatem suam tribui Juda indicari curavit, illorum animos ad se pertraxerit; alii dicta hæc de Deo arbitratur, qui abalienatos animos in Davidem inclinavit.

(Calmet.)

conciliare voluit, et exercitus principem, oblato militum imperio, sibi demereri. Neque sua regem conjectura fefellit: nam statim Amasa rem totam composuit, eoque adduxit viros Juda, ut, quod aliæ tribus ante fecerant, legatos miserint, ac significarent posse illum in civitatem suam, et regiam sedem tutò remigare. Id enim valet mandatum illud, quod datum est legatis: *Revertere tu, et omnes servi tui*. Neque, ut apparet, ante hæc mandata omnino erat expeditus in Hierosolymam reditus. Nam statim movit ex urbe, in qua aliquandiu consererat in terrâ Galaaditide, et pervenit ad ripas usque Jordanis. Cui occurrit omnis Juda ad Galgala, quæ erant propè fluvium, ut regem, quem antè ignominiosè expulerant, in regiam urbem cum dignitate reducere. (1)

VERS. 16. — FESTINAVIT AUTEM SEMEI. Hic est ille Semei, de quo supra cap. 16, qui cum videret regem subacto hoste ad pristinum gradum cum plausu, et majestate reverti, et scelerum illum conscius animus graviter argueret, aliquo obsequio deliniendum sibi putavit regium animum. Quare ipse occurrit cum totâ familiâ, quam habebat copiosam, cum videlicet quindecim filiis et viginti servis; et collegit præterea ex suâ tribu mille viros, quò reditus regis esset ornatior. Reliqua, ad v. 24, aperta sunt: tantum enim continent supplices Semei preces, et regis in illum clementiam singularem, obnitente contra Abisai, qui illum indignum judicabat. Illud tantum observandum v. 20, populum, seu domum Israel appellari domum Joseph. *Primus veni de omni domo Joseph*. Quod aliis sæpè locis invenitur, ut diximus ad illud Zachariæ cap. 10: *Et domum Joseph salvabo*. Sic Psal. 79, v. 2: *Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph*. Et Psal. 80, v. 7: *Quia præceptum in Israel est, et judicium Deo Jacob, testimonium in Joseph posuit illud*. Et psal. 76: *Redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob et Joseph*. Ubi per epexegesim eadem in singulis membris iteratur sententia. Cur autem Joseph pro Israele toto capiatur, ea ratio est, quia in Ægypto fratribus suis pro parente fuit; tum etiam quia loco Ruben nactus est primogeni

(1) VERS. 15. — OMNIS JUDA VENIT IN GALGALA. Ex omnibus tribus illius urbibus concursus factus est; tum Jordanem versus iter susceperunt ad locum, ubi rex annem transmisurus erat; ibi enim operam suam trajicienti præstiterunt, ut inferius narrabitur v. 40.

(Calmet.)

dignitatem. 1 Paralip. cap. 5: *Ruben fuit primogenitus ejus (Israel); sed cum violasset torum patris sui, data sunt primogenita ejus filiis Joseph*. Hæc mihi explicatio potissima est. Cajetanus aliam adducit, ita ut Semei anteverterit in causâ regis duas tribus, quæ Joseph interdum appellantur, quia à Joseph propagatæ; cum tamen illæ, quæ propiores Jordani sunt, occurrere regi prius debuissent. Vatablus putat tribum Benjamin vocari tribum Joseph, quia sub vexillo Ephraim, quæ pertinebat ad Joseph, duæ etiam aliæ tribus militabant, nempe Manasses et Benjamin. Illa porrò legio, quæ tribus constabat familiis, Joseph dicebatur, quia illi præerat aliquis de stirpe Joseph. Ait ergo Semei ex suâ legione prius occurrisse neminem. Quomodo sub quatuor vexillis duodecim tribus aut militaverint, aut progressæ fuerint, vide Abulensem in cap. 40 Exod. q. 12. (1)

(1) VERS. 17. — ET SIBA PUER DE DOMO SAUL, id est, Siba servus Miphiboseth, qui ex Jonathâ erat nepos Saulis. Prævenit Siba suum heritum Miphiboseth, ut Davidis gratiam conservaret, ac ut David eum sibi fideiorem quam Miphiboseth existimaret, itaque donationem bonorum Miphiboseth sibi ab eo factam confirmaret. (Corn. à Lap.)

VERS. 18. — TRANSIERUNT YADA UT TRADUCERENT DOMUM REGIS. Interpretum plures reddunt Hebræum: *Transierunt scapham, ut traducerent domum regis*. Cymbam impulerunt trans animum, ut rex cum suis transiret. (Calmet.)

VERS. 16. — *Semei dit à David: Ne me traitez point selon mon iniquité, mon seigneur; car je reconnais le crime que j'ai commis*. On voit dans Semei une image des hommes du monde, qui se font une sagesse d'être toujours pour les plus forts, parce qu'ils sont amis de la fortune et non des personnes. Quand David s'enfuit de Jérusalem, et qu'il paraît perdu sans ressource, Semei le déchire avec des injures insupportables à tout autre qu'à ce prince si généreux et si humble, et en cela même si digne d'être respecté dans son malheur. Mais lorsque Dieu se déclare en faveur de David, Semei se hâte de venir se jeter à ses pieds, et de lui demander pardon du crime qu'il a commis en l'outrageant de la sorte.

Abisai se moque de cette soumission forcée, et menace cet homme lâche de la punition qu'il avait si justement méritée. Mais David l'arrête avec ces excellentes paroles: *Qu'y a-t-il de commun entre vous et moi, enfants de Sarvia? Est-ce ici un jour à faire mourir un Israélite? Et puis-je ignorer que je deviens aujourd'hui roi d'Israël?* David était persuadé qu'il avait mérité par son crime de perdre et son royaume et la vie. Il en avait été tout proche, puisque, si on avait suivi le conseil d'Achitophel, que Dieu seul détourna par sa main toute-puissante, il aurait indubitablement perdu l'un et l'autre. C'est ce qui lui fait dire qu'il n'ignorait pas qu'il était devenu ce jour-là roi d'Israël. Comme donc ce jour-là était pour lui un jour de grâce, il est ravi de trouver une occa-

VERS. 25. — ET AIT REX SEMEI: NON MORI-  
RIS, JURAVITQUE EI. Hic nonnulli in hâc Davi-  
dis promissione fidem desiderant. Nam post  
lib. 3 Reg. cap. 2, Salomoni filio commenda-  
vit, ne pateretur illius impudentiam abire im-  
punitam. *Deduces*, inquit, *canos ejus cum san-  
guine ad inferos*. Agit hâc de re Abulensis latè  
q. 26, et refutatis solutionibus aliis non pau-  
cis tandem dicit, licet verba Davidis aliter à  
Semei forent accepta, imò et juxta communem  
acceptionem aliter sonarent, tamen sensum  
juramenti juxta Davidis mentem esse, neque  
illo die, neque suâ manu, aut dum ipse vive-  
ret, occidendum esse Semei. De illo die ex  
eo conjectura sumitur non obscura, quia cum  
Abisai regem ad sumendum capitale supplicium  
instimularet, respondit: *Ergone hodiè interfi-  
cietur vir in Israel?* Et concludit: « Quod ergo  
David juraret ambigè, et interpretaretur ju-  
rumentum suum in quocumque casu vellet,

sion de la faire aux autres, et de traiter Sémèi  
comme il a été traité de Dieu. (Sacy.)

VERS. 20. — PRIMUS VENI DE OMNI DOMO JO-  
SEPH. Ad familiam Josephi non pertinebat  
Semei, neque enim erat sive Ephraimita, sive  
è Manasse. Cur igitur se venisse gloriatur *pri-  
mum de omni domo Joseph?* — Respondeo no-  
mine domus Joseph innui universum Israel, et  
ut distinctum à Judâ, quæ duo diversum inter  
se corpus constituere solent; merito igitur affir-  
mabat, se post tribum Judam primum è reli-  
quis Israelitis convenisse regem. Certum uti-  
que est, nomen Josephi eo quem diximus sensu  
non rarò usu pari. Vertere tamen Hebræum  
maluerim: *Veni ante omnem domum Joseph,*  
antequam reliquæ tribus moverint ut revoca-  
turæ te veniant. Septuaginta editionis Ro-  
manæ: *Veni prior universo Israel et domo Jo-  
seph.* Sed Complutensis editio legit solum-  
modò: *Prior domo Joseph.* (Calmet.)

VERS. 22. — CUR EFFICIMINI MIHI HODIE IN SA-  
TAN? Cur hodiè mihi contrarios vos exhibetis?  
Ita J. Christus conantem S. Petrum ipsum sua-  
dere, ne properaret ad crucem, repulit: *Vade  
post me, Satana.* Quæ Hebræa vox sonat adver-  
sarium illum propriè qui causam in alium di-  
cit, accusat, et reum coram judice sistit.  
Hinc nomen diaboli translaturum est in spiritum  
malum accusatorem, et justorum omnium ad-  
versarium.

AN IGNORO HODIE ME FACTUM REGEM SUPER IS-  
RAEL? Nolo læti hujus diei serenam lucem sup-  
plicio hominis turbari; perinde enim diem  
hunc habeo ac primum suscepti imperii. Mos  
olim obtinebat, ut è carcere dimitterentur  
sontes, quâ die principes imperium capesse-  
bant. Quâ verò die læta et solemnia festa cele-  
brabantur, nemo sontium agebatur in suppli-  
cium; quin et in festo Paschatis praeurator  
Judææ sontem dimittebat capite damnatum,  
quem populus poposcisset. Romæ observa-  
tum est, ne quoties Augustus introiret ur-  
bem, supplicium de quoquam sumeretur.  
(Calmet.)

« non præjudicabat ipsi Semei, quia etiam non  
« jurando potuisset illum occidere, quando-  
« cumque vellet. » Hæc Abulensis; quæ mihi  
sententia potior est quàm Cajetani in cap. 2  
lib. 3 Reg., ubi dicit non violatum à Davide  
jusjurandum, « quia non mandavit occidi  
« Semei absolutè, sed ex novo peccato, ad  
« inveniendum siquidem novam causam jus-  
« tam. Quia vir sapiens es, et scies quid facies  
« ei. » Quam solutionem jam ante supra con-  
futârât Abulensis, ad solutionem huic similem,  
quam adduxit Lyra, quia quaecumque hone-  
stam speciem huic veniæ juratæ prætexerat  
David, et ex illius consilio Salomon filius, tamen  
mortis causa maledictio fuit, quam Semei prius  
in Davidem intorserat. Sic autem ad Salome-  
nem David: *Habes quoque apud te*, etc., *qui  
maledixit mihi; tu noli pati eum esse innocuum*,  
etc. Maledictio illa mortis fuit; aliter enim  
licet millies transiisset torrentem Cedron,  
nunquam sustinisset capitale supplicium.  
Quare hæc solutio regem à violato juramento  
non liberat.

VERS. 24. — MIPHIBOETH QUOQUE FILIUS SAUL  
DESCENDIT IN OCCURSUM REGIS ILLOTIS PEDIBUS,  
ET INTONSA BARBA, VESTESQUE SUAS NON LAVERAT.  
Hic fuit Miphiboseth filius Jonathæ, de quo  
supra c. 9, quem suæ mensæ David paternæ  
amicitiæ memor participem fecit. Dicitur au-  
tem filius Saulis Hebræorum more, qui ut  
parentes vocant majores, quocumque gradu à  
posteris recesserint; sic minores illorum ap-  
pellant filios, quantumcumque ab illis ordine  
distantes. Venit autem eo habitu, quem gestare  
solent illi, qui in luctu atque dolore sunt,  
quem habuit ex quo rex coactus est ignomi-  
niosè ab urbe recedere exactoratus, nudis  
pedibus, et eodem propè habitu ac specie,  
quam David jam propè non rex, sed regis in-  
forme quoddam simulacrum, attulerat. Ex quo  
apparet Sibam illius famulum egregiè fuisse  
mentitum, cum dixit Miphiboseth in Davidis  
fugâ triumphasse, exultasseque vehementer,  
quòd eâ ratione ad paternam hereditatem re-  
ditus pateret. Illa porrò quæ secum attulisse  
dicitur, signa sunt doloris et luctus, illis fa-  
miliaria, qui aut suam fortunam lugent, aut  
condolent alienæ. Quibus familiares sunt sor-  
des et squalor: unde sordidati dicuntur,  
qui mœrent et lugent.

ILLOTIS PEDIBUS. Erat nimis familiare Hebræis  
pedes lavare, ut in conviviis, et in aliis deli-  
ciis, quaecumque illæ forent. In conviviis sanè  
sæpè audimus lotos esse pedes; quod officium

angelis præstare voluit ex gentium consuetu-  
dine Abraham Genes. 18, v. 24, et Josephus  
fratribus cap. 43, v. 24, et Cant. 5, sponsa  
lavisse se dicit pedes suos. Et cum Christus  
Luca cap. 7, pharisæo objecit quòd pedes non  
laverit, aliquid officium prætermisum queri-  
tur, quòd hospitibus, aut convivis solitum  
esset impendi. Ideò verò lavari solent Hebræo-  
rum pedes perquam frequenter, quia illis na-  
turalis est quædam graveolentia; sicut etiam  
nunc grave aliquid halant Arabes, et hircino  
simile. Sanè Judæis naturalis est quidam foetor,  
tam communis, et notus, ut ab eo nomen  
vulgare traxerint, et vocati fuerint *foetentes*.  
Martialis quidem inter res maximè foetentes  
et odiosas, halitum numerat Judæorum lib. 4,  
epigr. 4, ubi illos Sabbatarios appellat. Audi  
Ammianum lib. 2, de imperatore Marco:  
« Cum Palæstinam transiret, Ægyptum pe-  
« tens, foetentium Judæorum et tumultuantium  
« sæpè tædio percitus dolenter dicitur excla-  
« māsse: O Marcomani, ô Quadi, ô Sarmatæ!  
« tandem alios vobis deteriores inveni. » Ut  
ergo foetorem illum, qui ex sudore plerumque  
provenit, detergerent Hebræi, sæpè aut publi-  
cis, aut privatis balneis utebantur. Quare non  
leve sui doloris documentum dedit Miphibo-  
seth, cum à balneis abstinuit, neque à suis  
pedibus quorum sudor aliquid molestum exha-  
lat, sordes abstersit. Illotos autem apparere  
pedes aliorum oculis difficile non fuit, cum  
Hebræis nullus esset tibialium usus; et sanda-  
lia, quæ illis pro calceis sunt, quæque non  
omninò pedes contegunt, non subducunt oculis,  
si quid est in pedibus aut illotum, aut lautum.  
Sic puto exponi posse illud Thren. cap. 1, v. 9,  
de Hierosolymâ captivâ: *Sordes ejus in pedibus  
ejus.* Qui habitus ancillarem et sordidam con-  
ditionem ostendunt.

Ubi Vulgatus, *illotis pedibus*, Hebr. est, *lo  
asah*, id est, *non fecit pedes*. Hebræi dicunt  
Miphiboseth fecisse sibi ligneos pedes, quibus  
pro veris, ac suis uteretur, eâ fortasse de  
causâ, quia erat claudus, ut vel eâ ratione de-  
bilitium crurum foeditatem celaret. Quod si ita  
esset, ut in Tradit. Hebr. refert Hieronymus,  
et ex eo Angelomus, et Hist. Schol., eo consi-  
lio infectis, id est, non factis pedibus egres-  
sus est Miphiboseth, ut claudus et reptans,  
et habitus omnibus ludibrio, suam aliis defor-  
mitatem ostentaret, et eâ specie doceret alios,  
quàm non gauderet Davidis vexatione, ac fugâ,  
cum illud deposuerit et levamentum naturæ,  
et turpitudinis fucum. Vide quàm aptè lugenti

s. s. x.

ac squalido regi sese attemperari Miphibo-  
seth, cum tam longè fuerit, ut à fuco, ac le-  
nocinio pulchritudinem accersierit, ut natu-  
rale neglexerit ornamentum, cum barbam  
promiserit, et comam, et quæ et ipsi, et aliis  
familiaria sunt, ut pedum, vestimentorumque  
munditiam abjecerit, et reptare maluerit in-  
decorè, quàm ligneis pedibus attolli, et in-  
cessu ingredi minùs turpi. Documentum sanè  
optimum illis, qui Christi causâ lugent, cum  
illius crucis renovatur memoria; et tamen ita  
elegantia student, ut omnium oculis placere  
velint.

Sed nostra translatio omninò melior. Neque  
illud, *non fecit*, quicquam incommodat. Nam  
verbum *facio* apud Hebræos, sicut etiam in-  
terdum apud Latinos, ad naturam, et exigen-  
tiam nominis significationem accommodat.  
Quo modo Virgilius Eclog. 3, dixit:

*Cum faciam vitulâ pro frugibus, ipse venio.*

Ubi *facio* sacrificare est, accommodatè ad *vitulam  
pro frugibus*. Hinc fit ut nullum fermè nomen  
sit, quod verbo *facio* non adjungas. Hebræi  
eodem fermè modo omnia enuntiant per ver-  
bum *asah*. Sanè inter alia etiam significat aptare,  
et concinnare, ut Deuter. 21, v. 12,  
ubi Vulgatus, *circumcidit unguis*, Hebr. est, *ve  
asethah*, id est, *faciet*. Sed longius exemplum  
petendum non est. Nam statim ubi Vulgatus,  
*intonsa barbâ*, Hebr. est, *non fecit barbam*.  
Utroque loco aptare, et concinnare valet, re-  
secare nempe unguis, et barbam tondere,  
quo modo viri urbani solent et elegantes. Sic  
etiam *facere pedes*, idem erit quòd aptare ad  
munditiam et elegantiam.

Septuaginta aliquid præterea addunt, sci-  
licet neque unguis reseccuisse, in manibus vi-  
delicet, et pedibus, cum ita vertunt in Six-  
tiano codice: *Non curaverat pedes suos, neque  
fecerat unguis*. Græcè οὐδὲ ὠρχίσαστο: significant  
enim non præsecuisse unguis; existimatur  
munditiæ et elegantia causâ. Unde qui in luctu  
sunt, ut comam gerunt et barbam intonsam,  
sic etiam excrescere patiuntur unguis. Utrum-  
que opus erat tonsorum, et eodem utrumque  
tempore præstabant: et pro barbâ et capillis,  
diversa secum portabant ferramenta. Sic sanè  
Martialis lib. 14 epigram. 36, cujus titulus  
est, *ferramenta tonsoria*:

*Tondendis hæc arma tibi sunt apta capillis,*

*Ut quibus hæc labiis, utilis illa genis.*

Significatur igitur Miphiboseth nullum sive ad  
munditiam, sive ad speciem, seu levamentum,  
toto illo tempore admisisse tonsoris officium.

ET INTONSA BARBA. Quidquid alienum est ab hominum frequenti, atque honesto usu, id ad luctum et mœrorem adhiberi solet: quale est capillos habere aut nimium prolixos, aut ad cutem detonsos aut barbam rasam, aut eandem hirsutam, et profundè defluentem. Sanè in funere, aut dolore radi caput, et barbam, satis liquet ex Levit. cap. 21, v. 5, ubi prohibetur sacerdos in suorum funere caput, et barbam radere. Et cum ageret Isaias de vastitate Moab, cap. 15, ait: *In cunctis capitibus ejus calvitium, et omnis barba radetur.* Et Jerem. cap. 41, v. 5, quidam ut lugerent Jerusalem eversam à Chaldæis, *venerunt rasi barbâ, et scissis vestibus, et squalentes.* Sed idem est, si nimis capilli defluant, aut barba sit intonsa, atque hispida. Qui enim dolere se vehementer simulant, aut etiam verè dolent, omnem contemnunt cultum, neque faciem lavant neque vestes, neglectos defluere capillos sinuat et barbam, et amant quod est inelegans et horridum. Apud Romanos, ut inquit Livius Decad. 1. lib. 6, solemne fuit in aliis luctibus, quàm funerum, capillos, barbamque promittere, et Decad. 3, lib. 7, sic de Marco Lucio: *« Erat veste obsolutâ, capilloque, ac barbâ promissâ, præferens in vultu, habituque insignem memorem ignominie acceptæ. »* Frontinus lib. 3 Stratagem., cap. 5, tradit Varronem, qui Cannensis cladis causa fuit, post illam capillum barbamque submisisse. Cum ergo tam hæc, quàm illa ab elegantibus, et lautis hominum consuetudine abhorreant, utraque in mœrore, et luctu, tam apud Hebræos, quàm apud nationes alias adhibetur. Ex hæc Miphiboseth intonsâ, atque prolixâ barbâ colligo non paucos dies intercessisse inter Davidis fugam et triumphalem reditum; neque enim paucis diebus fieri potuit intonsæ barbæ tanta prolixitas.

Ubi *Vulgatus barba*, Hebr. est *sephamo*, id est, *plus supra labium*, qui à Græcis *υβσταζ* appellatur, ab Hispanis *boço*, et ita reddit Hispanica translatio. Neque *Vulgata* contra facit, quæ tantum significat intonsam esse barbam; barba autem dicitur quicquid in superiori labro pilorum est. Fortassè in eo labio tendendo, seu radendo, aliquid apud Hebræos erat dignitatis; sicut contra in labio horto, et ex arte contorto alicubi gentium plurimum esse censetur elegantie. Sanè pars illa villosa plurimum habet impedimenti, et quia naso subjecta est, qui non semper emunctus esse solet, et siccus, non multum facit ad munditiem.

Omnes, uno *Vulgato* excepto, labrum superius transferunt. Septuaginta *υβσταζ*, quod Hispanus ab origine Græcâ *mostachos* vocat.

VESTESQUE SUAS NON LAVERAT. Interulas intellige, et lineas; nam quæ ex lanâ fiunt, quæque carni adhærere non consuevère, lavari non solent. Hoc etiam in luctu familiare est, hodièque multis in locis quasi solemne. Ex hæc sanè consuetudine Ovidius in *Epist. Laodamia* illam squalentem inducit, et ab omni cultu alienam, dum vir abest:

*Nec mihi peccandos cura est præbere capillos,  
Nec libet auratâ corpora veste tegi.*

*Quo possum squalore tuos imitata labores*

*Dicar, et hæc belli tempora tristis agam.*

VERS. 25. — CUMQUE JERUSALEM OCCURRISSET REGI, DIXIT EI. Effusa est regi obviam tota Jerusalem; venit autem, inter primos, ut est verisimile, cum vir esset nobilis, et ex regio sanguine Miphiboseth, ad quem rex severius ingratitude exprobrat, quod cum aliis ipsius discessum non esset comitatus, cum illum ad regie mensæ honorem, et delicias admisisset. Manserat videlicet, ut apparet, altè in mente repostum, quod audierat à Siba cap. 16, v. 3. Nam cum quæsisset David ubinam esset illius dominus Miphiboseth, respondit: *Remansit in Jerusalem, dicens: Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei.* Quæ verba licet omnino falsa à mendaci et infideli servo, graviter exulcerarunt regis animum. Atque ideò statim atque illum obvium habuit, his verbis est aggressus: *Quare non venisti mecum?* Mirum est, quod cum tam in alios mitis fuerit David, et tam omnibus facilè, et clementer ignoverit, in unum tamen Miphiboseth, à quo nullam acceperat contumeliam, et plagam, tam se difficilem, et severum ostenderit. Nimirum illum existimarat ingratum; ingratitude autem ejus generis est, ut omnem exhauriat clementiam, omnem impediât liberalitatem. Quà de re optimè Bernardus, serm. 51 super Cant.: *« Ingratitude inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus urens, siccans fontem pietatis, rorem misericordie, fluentia gratie. »* Si verum esset crimen, quod à Siba objectum fuit Miphiboseth, non miror in tam abundantem, et liberali pectore exhaustum esse fontem, quem alii etiam magnorum scelerum rei superfluentem invenerunt.

VERS. 26. — SERVUS MEUS CONTEMPSIT ME. Excusat se Miphiboseth ab impossibili, cum etiam, si maximè cuperet, non tamen posset

comitari Davidem, cum ex urbe profugus excederet. Neque enim aliud videtur in illo desiderasse David, cum claudus, et debilis nulli potuerit usui esse aut præliaturo, aut fugitivo regi. Ait ergo se præcepisse servo, ut asinum sterneret; pedibus enim iter ingredi ipsa pedum infirmitas prohibebat. Qui domini sui præcepta contempsit, et qui in causâ fuerat ne officium illud observantia, et gratitudinis obiret; idem dominum suum affectati imperii et impietatis apud regem accessit. Sed tantam rem expendendam regi, et judicandam permittit, neque videtur de æquitate judicii dubitare, cum regem angelo quamsimillimum appellat, qui acutus est ad explorandam causam, et ad judicandam integer, et æquus. Porro cum aliquem in aliquo genere magnum esse significare volumus, cum angelo illum comparamus. Cujus rei exempla non desunt, et habemus nonnulla in hæc Regum historia. Lib. 2, cap. 14, v. 20, dixit Thecutis femina: *Sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei.* Vide quæ nos ibi. (1)

VERS. 28. — NEQUE ENIM FUIT DOMUS PATRIS MEI NISI MORTI OBNOXIA DOMINO MEQ. REGI. Non queritur Miphiboseth de injusto, aut severo nimis regis judicio, quo à paternis bonis dejectus est, quæ, regio decreto, adit callidus, et infidelis servus Siba, cum loco beneficii ponat, quod vivat, cum tota Saülis domus obnoxia morti fuerit apud Davidem, quem variis modis innoxium, imò valdè de Saülis honore, et capite, et de re totâ Israelicâ meritum, odio quodam obstinatissimo insectatus est. Nihilò tamen minùs sic paternas injurias ultus est, ut pro supplicio novo, et verè regio beneficio prosecutus fuerit, cum assiduum esse voluerit regie mensæ. Quare concludit sibi nefas esse queri de regis decreto, neque sibi ad clamandum reliquum esse spiritum, ac vocem, cum plura acceperit quàm à regia liberalitate sperare debuisset.

VERS. 29. — FIXUM EST QUOD LOCUTUS SUM: TU ET SIBA, DIVIDITE POSSESSIONES (2). Cognovit,

(1) VERS. 27. — TU AUTEM, DOMINE MI REX, SICUT ANGELUS DEI ES, q. d.: Tu sapientissimus es, et prudentissimè judicas et statuis; quare fac de me quod placitum est tibi; quidquid enim statueris, accipiam quasi de manu angeli ut sapientissimè et optimè factum. (Corn. à Lap.)

(2) *Le roi répondit à Miphiboseth: C'est assez; n'en dites pas davantage; ce que j'ai ordonné subsistera; vous et Siba, partagez le bien.* Saint Grégoire pape, dans ses Dialogues, parle en ces termes de la manière dont David a traité Miphiboseth en cette rencontre. Après que ce-

ut apparet, David in Miphiboseth nullam hæsisse culpam; quod facilè ex ejus illuvie, et sordibus intelligere potuit; ille enim habitus non tam suspicionem movebat affectati impe-

lui avec lequel il s'entretient dans ces livres, lui a témoigné qu'il s'étonnait comment un pape de grande vertu s'était laissé prévenir par de faux rapports contre un saint auquel il avait résolu d'imposer silence, saint Grégoire lui répond: *« Vous étonnez-vous que nous soyons trompés quelquefois, nous qui sommes hommes, puisque David l'a bien été, lui qui agissait d'ordinaire par un esprit prophétique, et qu'il a condamné le fils de Jonathas, qui était innocent, en se laissant surprendre par les mensonges et les impostures de Siba? »* Nous pouvons tirer de grandes instructions de cette surprise de David, selon qu'elle nous est représentée par ce saint pape. Car qui est celui qui ne doit craindre de se laisser prévenir contre la justice dans des occasions très-importantes, si un prince aussi saint, et un prophète aussi éclairé que David, n'a pu éviter de l'être? Siba accuse d'abord Miphiboseth devant David du plus grand des crimes, qui est d'avoir voulu usurper la couronne. David le croit sur sa simple parole. Il ôte tout le bien à Miphiboseth, sans l'avoir ouï, et le donne à Siba. Après le rétablissement de David, Miphiboseth paraît devant lui. Il défend son innocence contre la perfidie de Siba. Il soutient qu'il a voulu suivre David, lorsqu'il s'est retiré de Jérusalem; que c'est Siba qui l'en a empêché, et qu'après cela il l'a encore noirci devant lui par une insigne calomnie. Siba, qui apparemment était présent, demeure muet, et se condamne par son silence. Et après cela néanmoins, David répond: *« Ce que j'ai ordonné subsistera. Vous et Siba, partagez le bien. »* Que s'il est permis de dire en cette rencontre ce qu'il est comme impossible de ne pas penser, il semble qu'on ne peut assez admirer que, sous le plus juste des rois, on voie ainsi la vertu punie et l'imposture récompensée. Et ce qui est plus digne d'étonnement, David traite en cette manière, non seulement un innocent, mais le fils de Jonathas, selon la remarque de saint Grégoire, c'est à dire le fils d'un prince qui avait donné d'abord son cœur à David, et qui l'avait plus aimé que sa propre vie; qui lui avait cédé la couronne, qui semblait lui être acquise par sa naissance; qui s'était exposé à perdre la vie en irritant le roi, son père, pour soutenir l'innocence de son ami, et qui avait fait jurer à David qu'il aurait soin après lui de toute sa race.

C'est donc avec grande raison que saint Bernard s'écrie: *« que la crédulité est l'écueil le plus dangereux pour les personnes qui sont élevées dans les plus hautes dignités du monde. Ils sont, dit-il, accablés de soins. On leur déguise la vérité en mille manières. »* Et ainsi il est aisé que ceux qui leur parlent les premiers, et qui ont plus d'accès auprès d'eux, les préviennent par de fausses impressions, qui leur rendent, ou odieuses, ou au moins suspectes les personnes les plus innocentes. Saint Grégoire, après avoir marqué ce que nous avons dit touchant cette surprise de